

deinceps episcopus dioecesim suam regebat usque ad Turcarum invasionem in Slavoniam a. 1526.⁶⁴

Turcarum depredatione a. 1526 destructa residentia episcopali dioecesis tamen non fuit suppressa, sed regebat eam vel proprius episcopus vel episcopus vicinioris dioecesis ut administrator apostolicus, vel etiam per breve tempus vicarius apostolicus, cui iterum proprius episcopus cum potestate ordinaria succedebat.⁶⁵ Cum vero in fine saeculi XVII Turcis e Slavonia expulsis, ipsa vero, pace in Karlovci a. 1699 composita, sub imperium austriacum denuo redierat, iterum episcopus bosnensis in Đakovo sedem fixit.⁶⁶ Sed cum in Bosnam adhuc sub Turcarum potestate remanentem intrare non auderet, S. Sedes huic parti dioecesis bosnensis per suum vicarium cum caractere et honore episcopi providit.⁶⁷ Quae immutatio in regimine utrum et conditionem iurium et organizationis pastoralis Franciscanorum immutaverit, postea videbimus. Tandem a. 1881 iterum in tota Bosna simul cum Hercegovina instauratur hierarchia episcopalis ordinaria.⁶⁸

Juxta episcopum et capitulum procul dubio aderat et clerus pro cura animarum, qui, quamvis primitivus et incul-tus juxta mores illius temporis, tamen munus curae pastoralis obibat. Immo, usque ad a. 1233 e medio ejus episcopi bosnenses assumebantur, qui erant ejusdem nationis ac populus cui inserviebant, nec aliam linguam ac litteras calebant.⁶⁹ Propterea in fluctibus Patarenismi quasi totaliter

⁶⁴ Bašagić-Redžepašić S. B., *Kratka uputa u prošlost Bosne i Hercegovine*, Sarajevo 1900, 27 ss.

⁶⁵ Šišić, o. c. 343 ss, sed de his sermo redibit infra in Cap. IV.

⁶⁶ Farlati, IV, 83 sq.; Horvat K., *GZM*, XXI (1909), 44 n. 168, ubi episcopus bosnensis Ogramić energice defendit possessiones suae dioecesis in Đakovo.

⁶⁷ Initio S. C. de Propaganda fide voluisse videtur specialem dioecesim a Đakovo separatam in Bosna erigere, sed, acceptis informationibus a Nuntio Vindobonensi, totam illam regionem, Bosnam nempe et Hercegovinam, vicario apostolico «cum dignitate et titulo episcopali in partibus» committere decrevit. *Archivum Prop.*, Acta 1734, v. 104, f. 237 ss; a. 1735, v. 105, f. 287—293.

⁶⁸ Encyclica »Ex hac augusta«, in *Acta Ordinis Minorum*, I. (1882), 97 ss.

⁶⁹ Hoffer, o. c. 72.